Quelle: https://manuscripta.at/?ID=833
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Si enim v. s. unquam deo prestitit obsequium per firma regia unquam exhibuit iam totum perficiet per cuius clementia dei concurrit quemadmodum indubitanter speramus et nos quoque nos offerimus ad vestram s. grata beneplacita et accepta quemadmodum de hiis omnibus nobilis Wilhelmus Saigneti consiliarius et cabellarius noster nobis sincere dilectus v. s. voce aut scriptis tamquam ille qui rebus affuit clarius informabit. Cui tamquam nobis adhibere velit v. s. credere plena fide. Datum in civitate nostra Cemarum regnorum nostrorum etc.

Littera ducis Sabaudie

Reverendissimis reverendisque in Christo patribus ac aliis venerabilibus et circumspectis viris sacrosanctum generale concilium Basilee celebrantibus amicis meis carissimis. Reverendissimi reverendique patres amici carissimi. Cumque reverendus in Christo pater consiliarius et amicus meus abbas Secusie virtute litterarum per ipsum sacrosanctum concilium directarum ad ipsum accedere velle monitus per me exhibuit. Et inde ipse litteras in eius persona debite exequente. Attamen nonnullorum dilectorum filiorum meorum ad eum causa visitandi destinatorum relacione fideli informatus prefatum abbas quadam gravi cardiaca passione corporaliter detinetur. Qua causante ad ipsum sacrosanctum concilium sine detrimento non modico sue persone commode accedere non potest quod firmissime non hesito de eiusdem sacrosancti concilii intencione procedere velle. Propterea circumspectiones vestras affectione singulari deprecor quatenus memoratum abbatem iam valitudinarium eius considerata infirmitate predicta excusatum habere dignetur attento potissime quod loco eiusdem aliquem notabilem virum ad ipsum sacrosanctum concilium subrogabit accessurum. Et ego id ad complacentiam merito reputabo singularem recipere paratus ad omnia eisdem circumspectionibus grata. Quas dignetur altissimus in agendis felicitare iuxta vota. Scriptum Thononii die xvij Julii.

Alia

Reverendissimi reverendique patres et amici precarissimi litteras vestras pridem per dilectos fideles consiliarios meos Philibertum de Ruppe licenciatum in legibus procuratorem meum in Romana curia Et dominum Petrum de Villarenus baccallarium in decretis canonicum Augustensem Alias eciam ceteras litteras per egregium militem et doctorem dominum Baptistam Cigala regie maiestatis consiliarium subsequenter ad me eventum michi exhibitis acceptabiliter recepi ipsorumque credenciam separatim vestri parte per eos michi eleganter expositam audivi regracians de honoribus